



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 106. Accoltii Cardinalis fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI.
A.C. 1549.

§. CVI.

Accoltii Cardinalis fata.

Ciaco. p. 277. Aubery & Ughel l. c. Ser Rossi hist. Raven. Bembo & Sc dol. in epist. **B**enedictus Accoltius Aretinus ex nobilissima Etruriæ familia ortus Petri Accoltii Cardinalis Nepos, atque Michaelis, & Lucretiæ de Alemanis filius fuit, primamque lucem aspexit die vigesima nona Octobris Anno Salutis nostræ millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo. Hic emenso Florentiæ studiorum curriculo tam perspicaci Jurisprudentiæ, latinique sermonis intelligentia inclaruit, ut merito ævi sui Cicero audiret. Postea tam Petri Patru sui favore, quam proprii meriti suffragio sibi Romæ potentissimos conciliabat amicos, ab ipsis etiam summis Pontificibus ob pietatis, atque eruditionis præstantiam plurimi habitus, unde a Leone X. Apostolicis literis in epitomen contrahendis præpositus, & postmodum Gaditanus Episcopus in Hispania est renuntiatus: ab Adriano autem VI. Cremonensi, ac demum cedente suo Patruo Ravennatensi Archiepiscopatu auctus eidem Pontifici ab Apostolicis literis fuit. Tandem nonnisi triginta annos natus die tertia Maji Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo septimo Cardinalis

nalis tit. S. Eusebii a Clemente VII. Sæc. XVI.
creatus, in Neapolis Regno Policastren-
sem, & Bovinensem Ecclesias admini-
strandas obtinuit, atque ab eodem Pa-
pa S. Bartholomæi Abbatiam in Fer-
rariensi ditione sitam in commendam re-
cepit, necnon Fanensis Gubernator per-
petuo jure selectus fuit, quod munus
rara prudentia, ac æquitate obibat,
quamvis ob Marchiæ Anconitanæ Le-
gationem cum Medicæo Cardinale quæ-
dam contentio esset exorta. Ceterum
Accoltius impellente Clemente Papa
tractatum conscripsit, in quo Sedis A-
postolicæ jura in Neapolis Regnum de-
claravit. Præterea idem alia ingenii
sui monumenta, ac præcipua quædam
carmina Florentiæ collecta, atque An-
no Christi millesimo quingentesimo se-
xagesimo secundo typis excusa reliquit.
Porro die decima quinta Aprilis Anno
a Christo nato supra millesimum quin-
gentesimo trigesimo quinto Paulus III.
qua demum ex culpa Scriptores reti-
cent, hunc Cardinalem in arce S. An-
geli captum detinuit, qui tamen inde
post semestre liberatus quinquaginta no-
vem aureorum millia multæ nomine
pendere, ac delicti sui veniam a Papa
exorare compulsus est. Obiit tandem
Florentiæ die vigesima prima Septem-
bris Anno ætatis suæ quinquagesimo
secun-

A.C. 1549.

Sæcul. XVI. secundo, Christi vero millesimo quingentesimo quadragésimo nono, sepultusque fuit in Templo S. Laurentii. Hic Cardinalis celebratur amplis omnino encomiis a Ficino, Trithemio, & Poggio.

§. CVII.

Suprema dies Philonardi Cardinalis.

Ciac. p. 607. Aubery .c. **E**nnius Philonardus humili, sed ingenio genere Baucae Aprutii oppido in Neapolis Regno natus solo meritum suorum suffragio ad supremas dignitates euectus est; nam postquam Romæ educatus cum magno progressu literis, præcipue vero Jurisprudentiæ operam navasset, eruditionis fama ad aures Innocentii VIII. qui tum D. Petri Cathedram moderabatur, delata est, crescente autem nominis sui fama Philonardus ab Alexandro VI. Verulanus in Campania Romana Episcopus renunciatus, atque a Julio II. Abbas Casemarinus, Bononiæque Pro-Legatus, ac Imolensis Gubernator electus est. Porro cum a Leone X. ad Helvetios ablegaretur, tanto Religionis studio Pontificiæ auctoritatis jura tuebatur, ut idem munus sub Adriano VI. & Clemente VII. iterum obire mereretur. Tandem
in